

DVO ELEGiarVM LIBRI  
HENRICI GLAREANI  
HELVETII AD  
VLDERI-  
CVM  
ZINLIVM.  
DOGGIVM.



ELEGIARVM.

Sed quotsum uolitet post condita spiritus ossa?

Quo tua te ducet uita beata, scias.

Si bene uixisti, qui coelum perdere possis?

Non dubites, ueniae est, qua bene spero, locus,

Sæpe sed ad Christum sinuato poplite eundum est,

Vnde tibi ingenium, & gratia plena fluet.

Hæc duo qui supplex a Christo poscere nescit,

Huic neq; Christus adest, & neq; sanctus amor.

Lusimus hæc, certe ut nostri non immemor essemus,

Vade uale, patriæ lausq; decusq; tuæ.

AD DANIELEM ERYTHROPOLITANVM

HERCINIVM PRAECLARAEE NOBI-

LITATIS ADOLESCENTEM.

Nobilitatis honos, uenerandæ stirpis alumne,

Vnica spes uitæ, mi Daniele meæ.

Huc ades, & queruli comprehendre uolumina plectri,

Posce uelim blandæ fila canora lyræ.

Aures arrigito, non sum tibi inutilis autor,

En ego quæ prosunt commonuisse uelim.

Forma placet, probitasq; ingens, & utroq; parente,

Vita probo, & certans cum probitate pudor.

Eia age ne teneram uitjs frustrare iuuentam,

Nobilitas pereat non patiare tua.

Ordine discutiam, quæ paucis prendere uerbis

Mens erat, hæc animo sunt repetenda tuo.

Posce salutiferum syncæro pectore Christum,

Virgo decus cœli sit tua cura uelim.

I 2 Quicquid

LIBER SECUNDUS

Quicquid habes dedit ille tibi, corpusq; animumq;

Si quid habes super hæc, contulit ille tibi.

Hæc phl. getontæos facili prece dimouet amneis,

Et cohibet nati tela tremenda sui.

Sedulus hinc sanctum uirtutis numen adora,

Hac sine nobilitas non erit ulla tibi.

Hercule nobilitas nihil est nisi candida uirtus,

Si qua putes aliud, decipiere palam est.

Solam uirtutem post funera scito perennem,

Hæc te nobilitat, perpetuumq; facit.

Romanam spectes incuruo poplite Coelem,

Virgo natans Tybrim Cicelia nota tibi.

Et Decij & Fabij, & clara uirtute Camillus,

Moratusq; alto cum Cicerone Cato.

Sit tuus exemplo genitor, pudibundaq; matris

Oscula, quæ gremio te ueneranda tulit.

Heu cū turpe, probos uitijs fecdare parentes,

Virtuti uerso limite terga dare.

Hæc ita, deinde unum hoc, socios comitesq; probatos

Selige, qui mores condidicere bonos.

Effuge lurchones tumidoq; ab domine uentres,

Et bibulos semper dira uenena putes.

Nec tu fœmineam iuuenis sectabere fraudem,

Crede mori satius, cū muliere frui.

Alcides domitor monstrorum, hydræq; fauilla,

Seruit iners Iole, cultaq; pensa trahit.

Quem non Bos, quē non Leo, non Erymanthus ursus,

Fœmineæ mulcent suauia blanda genæ.

Sis uerax

ELEGIARVM.

Sis uerax, constans, & toto sobrius æuo,  
Nilq; uerecundo pulchrius ore loqui.  
Virginitas placeat, qua nil præstantius orbe,  
Nilq; pudicitia mi Daniele tua.  
Cætera scis, quæ non mea stridula Musa recenlet,  
Nam meliora dabo, dum mea dicta tenes.  
Nobilitatis honos, & priscæ stirpis alumne,  
Dulce decus nostrum mi Daniele uale.

AD IOANNEM ERYTHROPO-  
LITANVM HERCINIVM  
DANIELIS FRATREM.

Diceret ingratus, lethæoq; obrutus amne,  
Si tibi Ioannes carmina nulla darem.  
Impellor probitate tua, tua uiuida uirtus  
Cogit, in hos monitus longius ire uelim.  
Accipe Pierijs paruam de fontibus undam,  
Amne Aganippæo, Castalioq; mero.  
Sæpe tuum rapitur tristi uertigine corpus,  
Sæpius impatiens prendidit ossa dolor.  
Sis pie Ioannes patiens, in memorare quid isto  
Christus agat stimulo, quid uelit ille tibi.  
Nemo est qui morbo careat, quem non quoq; carcer  
Corporeus, quem non languida membra premant.  
Semper homo asuescat, duros tolerare labores,  
Sudorem iuueni, tum mala ferre senex.  
Sunt tibi diuitiae, & multa uirtute parentes,  
Nobilis es clara stirpe uerende puer.

BASILEAE IN AEDIBVS IOANNIS  
Frobenij Hammelburgensis diligen-  
tissimi apud Alemannos  
Chalcographi,  
expensis  
autē  
Gertrudæ  
Lachneræ uxoris  
Frobenij. Anno domini  
M. D. XVI. Decimo octauo  
Calendas Decembreis.

Γίνεσθε φρόνιμοι ὡς οἱ ἄφες.

Prudens simplicitas amorq; re sibi.



תְּהִלָּתְךָ יְהוָה יְהוָה תְּהִלָּתְךָ

אַמְּרוּ יְהוָה תְּהִלָּתְךָ יְהוָה תְּהִלָּתְךָ